

XV. Et ratio est, nam potestas sacerdotibus collata non est limitata ad unum actum remissivum: pœnitens etiam potest iterum atque iterum eadem detestari peccata, et inde accrescit maxima utilitas animarum. Unde non est audiendus Richardus in iv, dist. xviii, art. ii, quæst. iv, et Rubion disp. xv, quæstione prima asserens non licere hujusmodi peccata apponere tamquam solam et adæquatam materiam confessionis, propter rationes prædictas, ut exacte ostendit Cajetanus tomo primo opusculorum, tractatu v de confessione, quæstione iv. Quomodo vero verificetur forma in confessione horum peccatorum, tradidimus articulo præcedenti.

DE PECCATO DUBIO.

XVI. Inquires, an peccatum dubium sit materia necessaria pœnitentiæ. Respondetur sub distinctione, quia dubium contingit dupliciter: primo enim oriri potest ex motivo positivo: secundo ex negativo. Quando enim quis dubitat se commisisse tale peccatum, possunt adesse rationes et motiva suadentia casum, et aliæ rationes suadentes oppositum; vel tandem sunt rationes moventes ad dubitandum pro altera tantum parte. Si ergo sit iudicium probabile suadens homini se non fecisse peccatum, vel si fecit non peccasse mortaliter, vel si sit mortale, se jam confessum esse, non est obligatio ad confitendum hujusmodi peccatum dubium. Hoc enim commune est in qualibet materia, nam potest quis sequi iudicium probabile. Si vero iudicium suadet se fecisse peccatum mortale, et non præcessisse illius confessionem, neque adsit motivum suadens oppositum, tunc est obligatio confitendi peccatum dubium,

cum nullum sit probabile iudicium liberans a tali obligatione.

XVII. Secundo, contingit dubium negativum, id est, ex nullo motivo suadente peccatum commissum esse, vel non, ita ut pro neutra parte adsint rationes probabiles ad assensum alterius partis, unde ut pendulus manet animus, sicuti circa hanc propositionem: Astra sunt patria, quam negare vel affirmare nequit homo, cum non suppetat fundamentum ad affirmationem vel negationem illius. Et quidem si sit certus homo se commisisse peccatum mortale, dubiusque sit de confessione, ita ut non inveniatur motivum ad assensum probabilem alterius partis, tenetur confiteri illud. Ita communiter doctores: ratio est, nam obligatio confitendi mortalia est omnino certa ex Tridentino citato, sicuti et peccatum commissum; sed non constat de confessione: ergo tenetur confiteri.

XVIII. Gravior in ingerit difficultatem peccatum. De quo est dubium, an fuerit commissum, et an fuerit mortale. In qua re communis sententia affirmat, peccata mortalia sic dubia, esse materiam necessariam confessionis, sive dubitetur an commissum sit, seu an sit mortale, vel an sit sacramentaliter confessum. Ita S. Thomas in iv, dist. xvii, quæst. iii, art. i, et dist. xxii, quæst. ii, art. iii ad tertium; Soto dist. xviii, quæst. ii, art. iv; Silvester verbo confessio ii, quæst. ii. Ratio potissima hujus veritatis est universalis praxis totius Ecclesiæ, quam ab Apostolis emanasse credunt cuncti, propterea quod tradiderunt obligationem quam affert pœnitentia ex sui institutione; ex qua non leve sumitur fundamentum pro hac veritate. Institutio enim hujus sacramenti est per modum tribunalis, ad quod recurrere tenentur fideles pro obtinenda remissione suorum pec-

catorum, eadem omnino obligatione, qua tenebantur recurrere ad Deum per contritionem ante institutionem hujus sacramenti; tunc autem tenebantur ad conterendum de peccatis dubiis, ne se exponerent periculo damnationis æternæ, præsertim in articulo mortis: ergo post institutionem pœnitentiæ ad id tenentur, nam sacerdotes, utpote vicarii Christi, absque restrictione gaudent ita ampla potestate ac Christus Dominus, qui tam excelsum potestatem illis contulit, ut diceret: *Quodcumque ligaveris, quæcumque ligaveritis super terram, etc.* Hoc fundamento nititur Tridentinum sess. xiv, capite v citato ad stabiliendam necessitatem hujus sacramenti: « Ex eo, scilicet, quod Christus reliquit sacerdotes vicarios ad quos recurrere tenentur fideles, sicut recurrere tenerentur ad Christum. »

XIX. Probat etiam Suarez hanc veritatem disput. xxii, sectione nona ex eo quod in dubiis tutior pars est eligenda: si autem quis omittet in confessione peccatum dubium non evaderet periculum omittendi aliquod peccatum, si re ipsa illud commisit; ex confessione autem illius nulli se exponit periculo. Sed hæc ratio multum probat, nam etiam in voto dubio quis teneretur ad ejus observantiam, cum sit tutior pars, ita ut ex ejus omissione immineat periculum non implendi promissum, si re ipsa promissum est; hoc autem est falsum, ut fatetur ipse Suarez tomo secundo de religione, libro iv, capite v, numero primo. Alii probant, quia non obligatur pœnitens ultra id quod debet, non ad confitendum peccatum dubium, ut certum; sic enim obligaretur ultra limites debiti, ut si quis obligaretur solvere debitum aut votum dubium, obligaretur ad certam solutionem debiti du-

bii, et sic ultra limites debiti, pœnitens autem solum obligatur ad confessionem dubii per modum dubii. Sed hæc ratio seipsam destruit, quia licet confessio sit de re dubia, onus tamen et obligatio confitendi est certa, et de facto acceditur ad confessionem, licet non cum tanto rubore, sicut in peccato certo. Sicut ergo pro debito dubio non tenetur quis ad integram solutionem, ita neque pro peccato dubio tenebitur ad confessionem certam et integram.

XX. Quare resolutorie dicendum est, quod licet principalis ratio hujus obligationis sit ipsa institutio Christi, qui sicut potuit obligare ad manifestandum occultissima peccata cordis, ita etiam dubia, cum maximo tamen fundamento, et connaturaliter ad ipsam naturam et remedium peccati, quia aliud est dubium de lege, aliud de facto. Quando est solum dubium de lege, verbi gratia, de emissionem voti, vel de impositione legis, tale votum non obligat, quia quamdiu non constat mihi esse impositum onus, gaudeo et possideo meam libertatem, qua spoliari non possum ex causa dubia. Unde ex eo quod non observem tale votum, nullum periculum incurritur; at vero dubium de ipso facto, quando exinde potest nasci periculum pro se, vel pro proximo, licet factum sit dubium, tamen periculum est certum, quia ad periculum sufficit dubium; obligatio autem certa non solum regulatur penes ipsum factum, sed penes periculum, quod est certum. Sicut si quis est dubius de febre, vel de morbo, tenetur procurare remedium; et si quis est dubius sit homo vel fera, tenetur non jaculari: ergo ex natura rei, etiam citra institutionem sacramenti pœnitentiæ, tenerentur homines pro istis peccatis dubiis procurare remedium, et recurrere ad Deum, juxta quod dicit propheta Psal. xviii:

Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo, ubi etiam includuntur dubia, quia ex parte sunt occulta. Oportuit etiam quod pro talibus dubiis recurreremus ad sanguinem Christi, qui pro poenitentibus alligatus est sacramento poenitentiae.

XXI. Plura quæ occurrere possunt circa materiam istam remotam, quæ sunt peccata, omittimus hic, quia pertinent ad materiam confessionis infra tractandam. De peccato autem quod committitur in ipso baptismo, quando quis fide accedit, et impedit effectum baptismi, dubium difficile est quomodo tollatur per sacramentum poenitentiae, quia sacramentum poenitentiae solum dat gratiam sanativam, baptismus autem regenerativam; implicat autem prius aliquem sanari, quam generari: ergo illud peccatum quod impedit generationem gratiae, non videtur pertinere et tolli per sacramentum sanativum, quod est poenitentia.

XXII. Sed de hac difficultate tractatum est supra, et in materia de baptismo; sed certum est quod illa fictio quatenus durat, et impedit baptismum susceptum, pertinet ad claves Ecclesiae, quia in quantum fictio supponit susceptum baptismum, et cadit super illum, quia impedit ejus effectum: ergo est peccatum hominis baptizati: ergo pertinet ad jurisdictionem Ecclesiae. Licet autem gratia illius sacramenti sit sanativa, et sic praesupponat regenerativam in aliquo genere causæ (nempe effectivæ) tamen non repugnat, quod in alia prioritate naturæ, et in genere causæ materialis gratia sanativa antecedit, quatenus sanitas est etiam dispositio, quia sicut in animali sanitas resultat ex temperamento qualitatum, quæ sunt dispositiones ad animal, et sub ratione dispositionis possunt

antecedere in aliquo priori introductionem formæ animalis; ita gratia sanativa potest habere rationem dispositionis ad tollendum impedimentum pro introductione gratiae ut regenerativæ, et sub hac consideratione antecedere in aliquo priori naturæ.

QUÆ SIT MATERIA PROXIMA ESSENTIALIS HUIUS SACRAMENTI.

XXIII. Communis et certa resolutio est, materiam proximam hujus sacramenti esse actus poenitentis, quibus peccata sua accusat, et subjicit clavibus Ecclesiae: quod perspicue definitur a Concilio Tridentino sess. XIV, capite III, dum explicans formam sacramenti, subjicit sic de materia: «Sunt, inquit, quasi materia hujus sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio, qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur:» et canone IV: «Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ tres poenitentiae partes dicuntur, anathema sit.»

XXIV. Qua definitione supposita, restat inquirere quales esse debeant isti actus, et quibus conditionibus præditi, ut possint esse materia sacramenti. Etenim non agimus modo de satisfactione, quam constat non esse partem essentialem in executione, cum ante exhibitionem satisfactionis sacramentum perficiatur, et conferatur gratia; sed sufficit satisfactio in proposito, quæ in ipsa confessione et acceptione

poenitentis includitur. Sed agimus solum de materia essentialiter requisita ex parte poenitentis (scilicet contritione et confessione.) Et reducit difficultas ad duo, alterum circa substantiam istius materiae, an tales actus debeant esse supernaturales, et veram speciem attritionis habere, ut sint materia sacramenti: alterum circa conditionem confessionis, an debeat esse facta in praesentia sacerdotis, ita ut in absentia sit nulla.

CONTRITIO DEBET ESSE SUPERNATURALIS.

XXV. Circa primum oportet præ oculis habere, quod licet contritio simul habeat rationem dispositionis ad effectum sacramenti, qui est sanctificatio, rationem partis seu materiae componentis ipsum sacramentum antecedenter ad ejus effectum, longe tamen diversa formalitas et consideratio est, in quantum dispositio ad effectum illius: nam ad hoc ut sit dispositio ad justificationem, est certum dolorem debere esse supernaturalem in se, id est, donum et impulsus Spiritus sancti, ut docet Concilium Tridentinum sess. XIV, capite IV. Et ulterius debet habere alias duas condiciones, ut sit sufficiens dispositio (scilicet respectu peccatorum antecedentium) ut universaliter sit detestatio de omnibus; et respectu peccatorum futurorum, ut sit voluntas efficax et propositum evitandi omnia, non velleitas tantum et inefficax voluntas. Ad hoc autem ut sit materia et pars sacramenti, non est certum omnia ista requiri, sed videtur sufficere quod peccata manifestentur, et subjiciantur clavibus Ecclesiae, ut sacramentum sit vali-

dum, et liberetur quis ab obligatione confitendi peccata.

XXVI. Idcirco ut dicemus articulo ultimo, potest dari sacramentum informe, id est, carens effectu gratiae, quæ est forma justificans, et tamen in se esse verum et validum sacramentum, quia potest componi ex attritione, sub ea ratione, qua sufficit ut sit materia sacramenti, et carere illa sub ea ratione, quæ requiritur ut sit dispositio ad gratiam, quod utique difficillimum est explicatu. In praesenti autem omisa ratione dispositionis in contritione, de quo dicemus articulo ultimo, solum inquirimus quid requiratur et sufficiat in contritione ut sit materia et pars sacramenti, ita ut sacramentum validum constituat, quidquid sit an habeat effectum justificationis, vel non habeat; an necesse sit quod sit supernaturalis dolor, et habeat reliquas condiciones dictis, vel non.

XXVII. Dividunt auctores in hac parte. Quidam tenent sufficere ad materiam sacramenti displicentiam peccatorum naturalem, et ex naturali motivo ortam, etiamsi cognita sit ut talis: alii dicunt, per se requiri dolorem supernaturalem, per accidens tamen sufficere naturalem, si existimetur esse supernaturalis: alii requirunt supernaturalem dolorem cum reliquis conditionibus attritionis, ita ut si in re non sit talis, quantumcumque existimetur talis esse, sacramentum fit nullum. Prima sententia patronos habet aliquos graves doctores qui dupliciter illam explicant: quidam, quod sufficit quælibet displicentia peccatorum, etiam sine efficaci proposito non peccandi. Quam sententiam aut significant, aut tenent Cajetanus tom. I, tract. V, quæst. V, Victoria, Cano, Ledesma et alii. Temperant tamen hanc sententiam Soto in IV, dist. XVIII, quæst. III, art.

III, Navarrus et alii, quod sufficit quidem ad materiam sacramenti naturalis dolor, seu ex motivo humano, cum efficaci tamen et absoluto proposito non peccandi.

XXVIII. Qui secundam sententiam sequuntur, etiam differenter procedunt, nam quidam dicunt per se requiri dolorem supernaturalem, per accidens autem posse naturalem sufficere, dummodo existimetur supernaturalis, etiamsi talis existimatio procedat ex ignorantia vincibili et culpabili: alii vero in hoc ultimo puncto disconveniunt, et dicunt sufficere quidem aliquando dolorem naturalem existimatum supernaturalem, dummodo illa existimatio proveniat ex inculpabili ignorantia, et consequenter sufficiens diligentia sit adhibita ut supernaturalis attritio eliciatur. Priorem modum dicendi attribuunt aliqui Soto, Silvestro, Cano, Navarro, præter alios antiquiores, qui non satis rem explicant: secundum sequitur Petrus de Soto: tertiam sententiam sequitur Suarez hic disput. XX, sect. IV, num. VI, citatque pro se omnes auctores, qui sentiunt non dari sacramentum poenitentiae informe, cum tamen ipse oppositum sentiat: quod quam consequenter dicatur, postea videbimus.

XXIX. In hoc puncto existimo non eodem modo loquendum esse de supernaturalitate, atque de aliis conditionibus, quæ inveniuntur in attritione efficaci, sed supernaturalitatem existimo requiri ex parte materiae in dolore et confessione: « Ita ut sine supernaturalitate vere et in re posita in illo actu, sacramentum sit nullum: » ut quando quis accedit ex solo motivo naturali; alias vero conditiones ad attritionem efficacem requisitas pertinere ad attritionem ut dispositio est, et poterit aliquando sine aliqua illa-

rum sacramentum esse validum, licet non fructuosum. In quo operet ministrum esse valde vigilantem in inquirendo motivo ex quo poenitens movetur ad dolorem, præsertim cum hominibus rudibus et ignorantibus, quos debent exhortari ut accedant cum dolore et motivo supernaturali, hoc est, regulato per fidem, seu concepto ex motivis quæ docet fides, ut ex timore inferni, turpitudine peccati, amore ipsius Dei et virtutis, etc. Sicut enim in aliis sacramentis minister debet attendere diligenter ut vera materia sibi adhibeatur ad perficiendum sacramentum, ut, verbi gratia, vera aqua naturalis, vel oleum verum, verus panis, etc. ita in hoc sacramento poenitentiae debet procurare quod poenitens debitam et proportionatam materiam apponat, scilicet supernaturalem dolorem; quod si noluerit nisi tantum ex naturali motivo accedere, non potest sacramentum perficere.

XXX. Ut fundamentum et ratio hujus conclusionis tradatur, oportet advertere, inter actus supernaturales, et ad aliquam virtutem infusam pertinentes, esse magnam latitudinem, et aliquos esse imperfectos in genere supernaturali, alios perfectos et efficaces, sicut etiam in reliquis virtutibus inveniuntur; nam aliquando in materia alicujus virtutis habemus aliquos actus inefficaces, qui quidem tale objectum et materiam virtutis attingunt, sed non habent efficaciam ad executionem, neque firmiter in voluntate adhærent, sicut sunt multa pia desideria et proposita recte vivendi, aut operandi in aliqua virtute, verbi gratia, in temperantia vel justitia, quæ desideria bona sunt, et ad tales virtutes reducuntur et pertinent; non tamen ad effectum perducunt, quia vel ex prava consuetudine, vel ex aliis occupationibus languescit

animus circa opera virtutis, nec habet imperium efficax ad talem executionem.

XXXI. Et idem prorsus contingit in actibus supernaturalibus, unde auxilia sufficientia, etiam in genere supernaturali, actus quidam sunt pertinentes ad aliquas virtutes, verbi gratia, aliquis timor Dei, aliquod desiderium beatitudinis, et aliqua aliæ bonæ inspirationes, sive ex parte intellectus, sive voluntatis: qui tamen actus et auxilia carent effectu, et aliis conditionibus requisitis, ut efficaciter moveant voluntatem, sive motione morali, sive physica; et tamen in se supernaturales actus sunt: eodem modo in virtute poenitentiae possunt dari aliqui actus imperfecti, sed supernaturales, quia concipiuntur ex motivo supernaturali, verbi gratia, ex timore condemnationis aeternæ, et respiciunt ipsam institutionem Christi in hoc sacramento, cujus passione et sanguine desiderat quis sua peccata deleri; et tamen nondum perfecte et efficaciter movetur voluntas ad relinquendum omnia peccata et occasiones. Alii vero sunt actus perfecti, qui non solum hoc desiderant et intendunt, sed etiam efficiunt.

XXXII. Dicimus ergo, quod ut actus poenitentis sint materia hujus sacramenti, indispensabiliter et essentialiter requiritur quod sint actus supernaturales, modo inferius explicando; et ita neque per se, neque per accidens fit sacramentum, nisi vere et in re ille dolor sit supernaturalis, quia hoc requiritur ex institutione Christi: reliquæ vero conditiones, quæ requiruntur ad hoc quod attritio sit efficax et perfecta, magis pertinent ad rationem dispositionis ut sacramentum ipsum habeat effectum; unde non repugnabit aliquando sine ipsis sacramentum validum fieri.

XXXIII. Prima pars conclusionis

THEOLOGIA IX.

insinuat a S. Thoma in hac quaestione LXXXIV, articulo primo ad secundum ubi inquit: « Quod in hoc sacramento actus humani sunt pro materia, qui proveniunt ab inspiratione interna: unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo intus operante; » ergo S. Thomas requirit pro ratione materiae actus ex inspiratione interna, et a Deo operante procedentes, quo nomine supernaturales actus solent designari. Eadem etiam pars significatur in Concilio Tridentino sess. XIV, cap. III, verbis supra relatis, dum inquit: « Quod sunt quasi materia actus poenitentis, qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes poenitentiae dicuntur. »

XXXIV. Unde fit argumentum: Ea ratione isti actus sunt materia sacramenti, quia sunt partes illius, cum non sint partes tamquam forma, sed tamquam materia; sed ratio qua Concilium dicit esse partes est ratio supernaturalis: ergo ratio qua sunt materia, et non solum dispositio, debet esse supernaturalis. Minor probatur, quia ea ratione docet Concilium esse partes: « Quatenus ex divina institutione ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem requiruntur; » hoc autem totum est supernaturale, quia institutio Christi, et integritas sacramenti non est ordinis naturalis, sed supernaturalis, cum fundetur in redemptione Christi, quæ est aliquid supernaturale. Similiter plena et perfecta remissio peccatorum omnino supernaturalis est; ergo tota ratio et formalitas, qua isti actus dicuntur materia et partes sacramenti, supernaturalis est, utpote ad res istas supernaturales ordinata.

XXXV. Quomodo autem hoc ar-